



30
~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-26.

SIGNAT. ciōiōCCCCXIII.

Stückzettel erled.
11. XII. 1949.

102



A. A. C. C.

DISPUTATIO
EXERCITATIONUM PHILO-
SOPHICARUM XLII,

De

PERFECTIONE ET IM-
PERFECTIONE VIRTUTUM.

Quam,

Divinâ benigne ajuvante Gratiâ,

SUB PRÆSIDIO

M. TOBIÆ TILEMANI

VVitteb. Colleg. Philos. Adjuncti,

Liberalis exercitiij gratiâ defendendam suscipiet,

BALTHASARUS SIMON,

Camminensis Pom.

In celeberrimâ VVittebergensi Academiâ,

ad diem 15. Junij, hora & loco solitis.

Plinius lib. 9. Epist. 26.

*Plerunq, altis & excelsis adjacent abrupta, tutius per
plana, sed humiliter & depressius iter.*

WITTEBERGÆ,

Typis Iohannis Gormanii, ANNO M. DC. XI.



us here ac, sa-
a pro ratione
st, unius quali
tributione vel
tia.
Interim ta-
a, ac inibi la-
tus igitur est
scribit.
adpellatur,
pabet vim, vel
m: Ac est ve-
sus usus com-
Deo πλὴν δὲ
liberos, vel
olura addere
alibus in spe-
virtutibus est
injuriam ni-
s. Nec o-
erius est fa-
8. Ac cum
eo etiam est
ac, justis est.



PRÆLOQUIUM.



Uod evenit (ut Seneca qui doctissimi Philosophi nomine à nemine non celebratur, hoc de suo mihi largiatur, ex lib. 19 Epist. 11.) magnis montibus, ut eorum proceritas minus appareat longè intuentibus, cum accesseris, tunc manifestum fit, quod in arduo summa sint: Ratione non absimili & hoc ipsum usu venit virtutibus moralibus, quarum in consideratione & perpensione totum habemus defixi; Quippe quæ, si eminus aspiciantur, tam acquisitu, quam faciles cognitu, ut ab aliquo, cui modò quid pectaris, citrà alicujus laboris impendium, & parari, & mitti sub ingenij jugum àxoni queant, apparent. Sed apparent: Nam si paulùm defecatione animi oculo lustrantur, est omninò in propatulo, quod (unius verbi notà) contra se res longè habeat; Ut id partim univèrsis, ex prægressis disquisitionibus, super has ipsas virtutes, habitis, non in obscuro fuit, partim ex hoc præsentate etiam erit tam liquidum, quam quod liquidissimum. Sicut enim in lativago hoc mundo nullè usquam classis rerum se offert, in quâ non & perfectum, & imperfectum, & insuper perfectissimum est reperit: Sic non est dispar per omnia ratio & cum virtutibus Moralibus. Siquidem Perfectas huc usq; numero undecim, ductu Aristotelis, Choragi nostri, viri illius immense subtilitatis, (qui præconiij titulus haud supra fidem meritumq; ipsi applicatur ab Attico oratore Plinio, in lib. 18. Nat. hist. c. 34.) curiosè, ut sic dicam, ingenij alà pervolavimus: In residuo verò resta: tum Perfectissima, quæ aliàs Heroica nominatur, quæq; quasi culmen est, est quasi arduum fastigium omnium virtutum, tum Imperfectæ, quæ habent se instar alicujus viæ ad virtutes ipsas; Ex quarum sanè tractatione paulùm enucleatiore, quæ jure meritoq; omni impræsentitâ est adornanda, non fieri quit non, quin sublimitas virtutum in apricùm deducatur, earundemq; dignitas sub oculos quasi ponatur. Interim cum non de nihilo sit id, quod edocet subtilitatum doctor Scalig in Exer. 1. Sect. 1. Veritatis supellectilem atq; apparatus non tam nitidum, quam opulentum esse debere: Ideò de dictâ virtute Heroicâ, & de Imperfectis virtutibus, abjectis ac neglectis teneris, exodibus, sublimibusvè verbis, (oratio sollicita Philosophum non decet, Sen. lib. 16. Epist. 101.) paucula hæc insequentia damus.

T H E S I S I.

Perverum cum sit illud vetus, è viâ petitiũ, πρὸς τὸ ὀρθῶς διδόναι, πρὸς τὸν θεὸν ἐξελθεῖν τὸ ὀνόματι: Expropter est omninò opera, ut primitus de origine vocis Herois, à quâ Heroica virtus, sollicitos aliquantulum Nos prabeamus. Myriades autem hinc ferè opinionum, quas excutere singulas prolixè & accuratè, nec lubet, nec licet: Convenientissimam equidem putamus eam, quæ ἀπὸ τῆς ἔρωτος vocem hanc derivat, quippe cum amor, ardensq; virtutis studium in heroica dignitate sit forma, sit vita.

II. Hinc vocatur hæc virtus ἀρετὴ τῶ ἐξ ἡμῶν ἡρωικῆν καὶ θεῶν, non eo sanè sensu, quod Dei sit, siquidem hic omnem perfectionem in se habet modo longè supereminenti, hujusq; essentia à virtute distingui non potest, ut præclare dissertat Augustin, 1. 3. lib. 6, de Trinit. c. 4; Verùm quia

reddit homines quoque similes n. odo Deo: Inde dicitur itidem τιμιώτερον
της ἀρετης, praestantius quid virtute, qualiter scil. se habet humana.

III. At hanc partim dari modis omnigenis, (Quaerere n. Quid sit, cum
ignoretur An sit, nihil est quaerere, lib. 2. Post. c. 8.) exempla praeter, quae Na-
bis historiarum annales suppeditant, firmae dant probatum & gradus vir-
tutum, dum ex illis quaedam sint inferioris conditionis, semi-virtutes dictae,
quaedam mediocri sint dignitatis: Quare igitur non sit, quae fastigium to-
neat, praeter, potentius reliquis, & eminentius splendicat?

IV. Et species rerum, in moribus opere summo fugienda, quarum tres
adfirmat Philosophus esse, κακίαν, ἀνεργσίαν καὶ θνησιότητα, lib. 7. Eth.
Nic. c. 1: iam vero τὸ θνησιότητι contraria est virtus Heroica; Contraria
autem apta esse nata fieri circa idem subjectum, nimis in Peripato notum
est, lib. 6. Top. c. 3. lib. categ. cap. 8.

V. Et demum communis ac recepta Poëtarum, aliorumque hominum o-
pinio, qui ob excellentiam alicuius virtutis, ejus sunt sententiae, ex hominibus
nim. aliquando Deos fieri, quasi illorum virtus non recte in censum huma-
narum veniat virtutum, sed enim meritis actionibus divinis, non qui-
dem proprie, at tropice, adfignetur.

VI. Partim etiam omni temporum memoriae tales existisse, qui Hero-
um nomen (ut ut gradus hic quosdam perlubentes agnoscamus) sibi vendi-
care iure potuere, vel hoc testato denunciat, dum illis sine & Ecclesia, &
regna omnia imperiaque at atis jam dudum prostrata, funditusque eversa ja-
cerent; Sunt enim cum illius, tum horum stabilimenta ac fulcra, quibus
innexa unice consistunt.

VII. Est vero hic virtutis heroicae splendor nil aliud, quam virtus ex-
cellentissima, non absque peculiari divino afflatu quibusdam concessa, ad pra-
clariss: difficilissasque actiones subeundas: Vbi est manifestarium, quod ge-
nus virtutis heroicae idem sit cum virtute morali, siquidem illa ab hac mini-
me omnium specie discrepat.

VIII. Differunt enim tantum secundum magis & minus, seu secundum
ὑπερβολὴν & excellentiam ab invicem, dum illa perfectior longe, emi-
nentior ac splendidior, haec ignobilior, obscurior, imperfectiorque est: Ac utraq;
tam quoad virtutem in genere, quam quoad species singulas, definitione ead-
em gaudent, indeque specie nunquam discrepare possunt, ut est in claro ex
Arist. lib. 10. Metaph. cap. 8.

IX. Deinde differentia, quarum interventu virtus heroica a Morali di-
scrimina-

scrutinatur, in definitione adduntur tres: 1. à forma est petita, quod scilicet
sit virtus excellentissima; Eminentiam quippe & splendore omnes, quot quot
sunt, virtutes, longè superans, uti est cernere potissimum in Iusticiam, Prudentiam,
Sapientiam, Magnanimitate, Fortitudine & Temperantiam.

X. 2. A causa eius Efficiente est desumpta, qualis est D E V S Ter Opt.
Max. qui peculiari ratione heroicis animos excitat, facultatemque ipsam
ac vires eam tum acquirendi, tum excolendi, tum quoque exercendi largi-
tur: Nemo enim vir magnus sine afflatu divino unquam extitit, Cicero
lib. 2 de Nat. Deor. Hinc succenturiat à quasi operà adjungunt se actiones,
vel crebra ac iterata, vel ex paucis benè valida, quibus & illa omnino ad-
pisci potest.

XI. 3. Finem innuit & effectum virtutis heroicae, actiones nimirum
preclarissimas, humanaque superiores sorte: In quibus hæc tria attentè atten-
denda sunt, 1. Impetus Herois alicujus, seu amor ardens, summaque erga
rem efficiendam cupiditas; 2. Constantia in perficiendo opere miranda.
3. Successus exoptatissimi, & vix sperati.

XII. Ex his est colligere in proclivi, 1. Rarè admodum hanc virtu-
tem inter mortales inveniri, ut non inrectè Philosophus pronuntiavit, $\theta \epsilon \iota \omega \nu$
 $\alpha \nu \delta \epsilon \alpha \epsilon \nu \alpha \iota \tau \omega \alpha \nu \iota \omega \nu$ lib. 7. Ethic. Nic. cap. 1. 2. De heroicis factis or-
dinariam viam non semper esse iudicandum. 3. Eademque nemo imitari de-
bet, nisi & ipse heroico impetu præditus. 4. Virtutem heroicam non tan-
tum moralium, sed & splendorem esse intellectualium virtutum.

XIII. Demum opponitur virtuti heroicae, in defectu quidem Ignavia
summa, & ineptitudo ad omnem penitus virtutis impetum: In excessu verò
Feritas seu bestialitas, quæ est vitium excellentissimum: cum quis omne rectæ ra-
tionis iudicium in totum, quantum eius fieri potest, exuit, humanam appeti-
tionem in ferinam commutans; Hujus exempla potissimum sunt $\epsilon \nu \tau \omega \iota \varsigma \beta \alpha \rho \epsilon \alpha$
 $\epsilon \gamma \iota \varsigma \theta \iota \varsigma \delta \iota \alpha \kappa \alpha \lambda \iota \alpha \tau \omega \nu \alpha \nu \theta \rho \omega \pi \omega \nu \iota \alpha \epsilon \gamma \beta \alpha \lambda \lambda \alpha \sigma \iota$, lib. 7. Ethic. Nic.
cap. 1. Hæc de Heroica virtute.

XIV. Porro semi-virtutes seu virtutes imperfectæ dicuntur habitus,
propter quos neque simpliciter boni, neque absolute mali dici meremur, sicut
quidem contingit & perfectas virtutes & vitia, sed sunt mixtum quid, ha-
bentes in se aliquid tam boni, quam mali: Et licet harum tot species con-
stitui possint, quot sunt perfectæ virtutes; commodum tamen illæ ad duo
quasi capita revocantur, scilicet ad Continentiam & Tolerantiam, Ibid. c. 4.

XV. Continentiam hic neutiquam vocitamus partem illam temperantiam, qua circa voluptates tactus occupata tenetur, ac de qua in superioribus exercitationibus serebamus nonnihil sermonis, sed enim summus hic pro imperfecto habitu, & Continentem eam esse dicimus, qui quidem eas vincit voluptates, à quibus plerique alij vincuntur: Attamen id nec facit ex habitu, nec cum delectatione, ac cum luctu à quadam appetitu.

XVI. Contra verò Incontinentem definimus, quod sit is, qui vincitur à voluptatibus ijs, à quibus plerique alij vinci possunt: Verum non planè consentiente, sed repugnante ratione, neque ex firmà proavessi. Vig. præceptio de Continentia & Incontinentia in brevis verborum fasciculum colligatur, hac tria maximè notari debent: 1. Forma illarum, 2. Materia & objectum earundem, 3. Cognatio cum alijs habitibus, & differentia.

XVII. Formam Incontinentia Aristot. statuit esse contra scientiam agere, lib. 7. Eth. Nic. cap. 3. Quæ sententia ut ritè intelligatur, has convenit notare distinctiones. 1. Scientia aliquando notat habitum, aliquando usum: Incontinens priori modo sciens dicitur, dum habeat notitiam agendorum & omittendorum, posteriori modo similis est ignoranti, dum scientiã suã non utitur.

XVIII. 2. Scientia alia est universalis, quã generatim cognitum nobis & perspectum est, turpia fugienda, honesta verò esse facienda; Alia Particularis, quã in specie scimus, hoc vel illud esse turpe, &c. Incontinens illius respectu est sciens, huius vero ignorans, dum in eo aberrare potest, ut addubitet vel prorsus nesciat, hanc voluptatem, circa quam eo temporis articulo versatur, esse turpem.

XIX. 3. Causa, propter quas aliquis contra scientiam agit, sunt potiss: duæ: 1. enim fit illud ob affectionem corporis, aut vim externam, cum in somno, ebrietate, &c. pra nimio dolore, vel coactè aliquid agimus, quod non agendum esse scimus. 2. Ob impetum & vehementiam affectuum, cum irã, amore, &c. in mente quasi excatamur, ac ad agendum abripimur: Et hanc ad classem Incontinens etiam referri debet.

XX. Ipsi enim duo quasi media offeruntur, unum à rectã Ratione, quod sic habet, Omne turpe est fugiendum, Potare est turpe, Ergo: Alterum ab Appetitu, sic arguente, Omne jucundum est prosequendum, Potare est jucundum, Ergo. Quia verò appetitus in eo longè fortior est mente: Ideò Incontinens suasum sequitur appetitum in actione, utut insimul sciat, diversum suadere rationem, quod tamen inter agendum sermè obliviscitur, vel non amplius considerat.

21. Sum.

XXI. Summatim igitur circa actiones Incontinentis tria notanda sunt tempora inquisite: 1. Antè factum, cum nondum rapitur affectibus, perturbaturq; in totum; Atq; tum Incontingens est sciens. 2. In ipsa actione seu impetu cupiditatum: Ac ita suo est modo ignorans, similisq; ebrius. 3. Post factum: Sicq; ad scientiam redit, & agnoscit se peccasse, lib. 7. Eth. cap. 2. Hac de primo, de forma scil. Incontinentie, ex qua & Continentia facile patescit.

XXII. Objectum Continentie & Incontinentie quod spectat, advertendum est, quod illa versentur circa dolores & voluptates corporis: Quia verò voluptates non generis sunt unius, uti res ex preced. disput. est in propatulo; Ideò etiam hæc variè dividuntur, inq; species dissepiscuntur plures. Sic enim, 1. Incontinentia alia est Humana, scil. cum quis à cupiditatibus humanis circa voluptates naturales superatur: Alia est beluina & morbosa, cum quis ferinis cupiditatibus ad voluptates non naturales rapitur.

XXIII. 2. Illa iterum vel est simpliciter talis, quæ versatur voluptates circa naturales & necessarias, ut puta, alimenti & Veneris: Vel secundum quid, aut κατὰ μέρος, quæ peccat circa voluptates non necessarias, iram nimirum avaritiam, &c. eam supra modum expetendo, lib. 7. Eth. Nic. cap. 4.

XXIV. 3. Alia est temeritas & precipitantia, quæ quis subito præterq; animi omnem intentionem commovetur, ut fit in Cholericis & Melancholicis, cum primis verò in juvenibus & mulieribus: Alia est Infirmetas, quæ quis, qui aliquandiu cupiditatibus repugnavit, iisdem tandem ex imbecillitate succumbit: Et hæc ut majorem reprehensionem meretur, sic minus est sanabilis, quam illa, libid. cap. 7.

XXV. Deniq; differentiam, itemq; cognationem Continentia & Incontinentia cum reliquis habitibus quod attinet, pauca notandum, quod continentia cum Temperantia partim conveniat, in Objecto scilicet, dum utraq; versatur circa voluptates corporis, quæ gustu & tactu percipiuntur: Partim differat, formâ nimirum seu modo, cum Temperans deliberato consilio & verè lubens voluptates fugiat, continens autem id invicinus faciat, quia adhuc pravas habet & vehementes cupiditates.

XXVI. Parilem in modum Intemperantia differt ab Incontinentia, quod illa fiat certo cum consilio, hæc verò non planè consentiente, ac repugnante ratione: Vnde quoq; Intemperans & insanabilis est, cum corruptum habeat de moribus iudicium, neq; eum facti poeniteat, & deterior longè incon-

gè Incontinenti, cum hic non n̄ à magnis, ille verò à quibuscumque cupiditatib.
vincatur, supereturq̄. Hec quoq̄ de Continentia & Incontinentia.

XXVII. Caterùm Tolerantia est virtus imperfecta, quã dolores seu
res adversas & laboriosas, quas pleriq̄ perferre solent, repugnante animo
honestatis causã perferimus, lib. 7. Nic. c. 1. Vnde ut differat à Fortitudine
facile intelligi quit, non tantum scil. ut dispositio ab habitu, imperfectum à
perfecto; verum etiam, præter cetera, quia fortitudo in adveniendis quicq̄ pe-
riculis, tolerantia verò in impositis perferendis est occupata.

XXVIII. Hinc si Continentia etiam cum Tolerantia conferatur, cla-
rum maxime erit, quod illa sit bene multis modis præstantior quam hæc,
quia nimirum superat ac vincit objectum, hæc verò idem solum sustinet ac
perfert: Vnde & factitatum, quod illa à vincendo, hæc verò à sustinendo no-
men apud Græcos sortita sit.

XXIX. Opponitur verò Tolerantia in excessu Pertinacia, quæ vitium
est, modum excedens in adversis, ita ut quavis sine honestatis ratione perse-
ramus: In defectu autem Mollities, estq̄ vitium, quo penitus ac planè nul-
los labores aut dolores, minimos etiam, honestatis gratiã subire perferre
volumus, lib. 7. Eth. Nic. cap. 7.

XXX. Siquidem Mollis proprie dicitur, non qui à graviss: & vehe-
mentiss: doloribus vincitur, cum id & fortibus contingere queat, sed qui le-
viss: quosq̄ perferre nequit, & cui hoc ex propriã quadam ignaviã, non ex
morbo, aut naturali quodam vitio contingit, sicuti mulieres & pueri minus
laborum patientes sunt, itemq̄, alij populi, alijs naturã molliores sunt. Ve-
rùm satis de perfectitudine & imperfectitudine virtutum.

A D J E C T A N E A.

1. Virtus heroica minimè affectuum omnium est evulsio. 2. Et hæc
fœminis etiam, rarius licet, inesse potest. 3. Ac, non citra rationem, Hero-
um plerunq̄ exitus solet esse funestus. 4. Quorum itidem plerunq̄, filij
noxæ. 5. Ipsi tamen, quã tales, nunquam mali esse possunt. 6. Nobili-
tas proprie sic dicta in virtute unice fundata est. 7. Incontinentia cupi-
ditatum alimentum & Veneris peior est, quàm incontinentia iræ. 8. Soloḡ
appetitu minimè incontinens peccat. 9. Et hic non potest esse prudens.
10. Capillos cincinnatos mollitiei simpliciter signum esse, haut adfirma-
mus.

F I N I S.

Umg. VI 26

= [Dissertationes
Theol. Vol. 707]



Sb.

VD 17





A. C. C.

PRÆSENTATIO
TIONUM PHILO.
SOPHARUM XLII,

DE

PRÆSENTATIONE ET IM-
MORTALITATE VIRTUTUM.

Quam,
signè ajuvante Gratiâ,

PRÆSIDIO

FRANCISCAE TILEMANI

Colleg. Philos. Adjuncti,

quibus gratiâ defendendam suscipiet,

FRANCISCAE SARUS SIMON,

Magister Pom.
Vittebergensis Academia,

Junij, hora & loco solitis.

in libro 9. Epist. 26.

versibus adjacent abrupta, textus per
humilius & depressius iter.

VITTEBERGÆ,

Francimanni, ANNO M. DC. XI.



Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Inches

Centimetres

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

1 2 3 4 5 6 7 8